

quod ita dulce, & amabile, quam quod Deus provideat non solum singulis custodes Angelos (qui ideo dicuntur, & sunt Angeli eorum Matt. 18.) sed copiosos praeterea horum Spirituum exercitus ad populi, & Ecclesiae suae tutelam? Aprè pro parasti, venit Campensis, suppetias ferens pro benignitate tua pauperi Deus. Hebraicè pro parasti, est takin, fixisti, firmasti: animalia scilicet illa, acies, stationes, exercitus Angelorum: pro dulcedine est *χονορία*, id est, bonum, mansuetudinem: Hebraicè *toba*; id est, beneficio, clementia; ac si dicat, firmasti eos in bonitate, in mansuetudine, & clementia tua pauperi, seu pro paupere, ad custodiam, ad tutamentum, ad beneficium pauperis, vexati, afflicti. Sic de securitate, & quiete dulcissima hominibus provifum. Hic illud Isai 19. 20. Mittet eis salvatorem, & propugnatorem, qui liberet eos, Tigurina, Servatorem, & Magnatem. Exponit ibi Vatablus. Virum Principem Angelum. Genes. 48. 16. Angelus, qui eruit me de cunclis malis. Hebraicè pro Angelus, est hagoel, id est, redimens. Et illa Nazarii verba in Paegyrico de Imperatore Constantino, cui praefo additit Angelorum defensio, sese de hoc ministerio gloriosè jactantium: Habent divina jactantiam, & caelestia quoque tangit ambitio: illi de celo lapsi, illi divinitus missi gloriabantur, quod tibi militant.

Isai. 19. 20.

Angelus, servator, seu Redemptor vocatur.

Nazarius.

Cant. 3. 17.

Angeli sunt sexaginta fortes, Salomonis lectulum circumambientes.

Gigantes sunt ad Ecclesiam custodiam.

Aponi.

Isai. 6.

mos Isaie Seraphinos c. 6. Sexagenorum mentio in memoriam mihi revocat excellentissimum illum Seraphinorum conventum: nam in quolibet horum elucescit ea, quae in universo inest perfectio, quae etiam tacite, & velut flexu quodam per denarium numerum insinuat; perfectus enim est iste numerus. Seraphini illi ex S. Hieronymi interpretatione, innumeri erant; unde LXX. legunt Seraphim stabant in circuitu throni. Dicuntur stare, tanquam milites vigilantes & custodientes stationes suas, juxta illud Habac. 1. 1. Supra custodiam meam stabo. Inde eorum acclamatio: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum. Splendidè hæc demonstrant Angelorum ministeria. Rectè S. Laur. Justin. fasciculo amoris c. 17. S. Justin. Quis non ineffabili quodam exuberet gaudio, cum revolvit mente Sanctorum adjuutorum Angelorum, qui sine fatigatione, atque intervallo excubias celebrant super plebem Dei, cætusque fidelium? Et quidem usque adeo studiosè militat humanæ salutis, ut Deo gratulentur quidquid boni hominibus praestat. Hoc Angelos consilio amicè convenisse, ac Deo frequentes adesse, probat Origenes ad illud Job 1. 6. Cum venissent filii Dei, & assisterent coram Domino. Sic ille lib. 1. Angeli misericordias ejus constituentur. & gratias agunt pro beneficiis, quæ ille incessanter impertit filiis hominum.

S. Germanus. Angeli Seraphini vigiles, & custodientes stationes suas.

Angeli gratias agunt Deo pro beneficiis in homines collatis.

SECTIO X.

De Angelorum cultu, & famulatu erga Christum, & Deiparam.

215 Semel, & iterum in medio populi, id est, in medio Angelorum, inducit Siracides, palam præconia sua celebrantes Christum, ac Deiparam Circumstantibus caelestes spiritus uti famulantes, & obsequentes ministri. Ideo Tertullianus lib. de Oratione c. 3. Angelorum circumstantiam dixit; sumptum, ut nosse ibi Cerda credit, à 1. Machab. 15. ubi de Athenobio scribitur: Vidit gloriam Simeonis, & claritatem in auro, & argenteo, & circumstantiam copiosam, & obstupuit. Ubi vulgatus reddit apparatus copiosum. Græca sonant circumstantiam: apparatus quidem militarem, & obsequentem. In medio Angelicæ circumstantiæ supereminent JESUS, & MARIA. In medio esse dicitur, cui honor præcipuus exhibetur, inquit S. August. in Ps. 208. Et Hebræa phrasi in medio illi esse dicuntur qui eximii sunt Principes & Dynastæ, quibus cæteri obsequuntur ut famuli, & ministri, 3. Reg. 3. 8. Ezech. 34. 24. Dan. 4. 7. & alibi sæpe. Igitur dum Siracides in medio populi sui, Christum ac Deiparam inducit, adesse illis plures Spirituum caelestium legiones in obsequium & famulatum ostendit, quibus instar regiae custodiæ satellitio cingerentur. Rem illustro.

Angelorum circumstantia ad famulatum spectat. Tertull.

Machab. 15.

Deipara clarè cognita ab Angelis ab initio beatitudinis eorum.

216 Atque illud imprimis observandum, quod placuit nostro Suario, & multis aliis post illum tom, 2. in 3. p. disp. 22. sect. 1. videlicet Deiparam clarè cognitam à SS. Angelis ab initio Beatitudinis illorum, magnoque & intimo obsequio cultam, & adoratam: hujus enim notio ad statum illius felicitatis pertinebat. Adde, id etiam contigisse, non solum ab initio beatitudinis Angelorum, sed dum viatores fuere. Nam cum Deus ab æterno statuisset naturam humanam hypostaticè unire Verbo, & hominem ex humana, & divinaque natu-

Angeli viatores Christi fidem habere.

Ad Hebræ.

S. Cyrill.

Per Mariam Diabolus de celo dejectus ab Angelis bonis. Apoc. 12. 1. Signum pro vexillo.

Michaelis & Angelorum ejus in Deiparam obsequium. Apoc. 12. 7.

S. Cyrill.

Can. 6. 3.

natura compositum omnibus Angelis, & hominibus tanquam caput, & dominum præponere, suumque hoc consilium Angelis aperuisset initio creationis ipsorum, ab eisque venerationem erga ipsum exegisset, boni Angeli Christum adorantes, per ipsum gratiam, & gloriam sunt consecuti. Lucifer autem considerans excellentiam suæ naturæ, sibi potiùs hanc unionem, & dignitatem appetiit, & naturæ humanæ invidit, & Christum noluit ut caput agnosceret, neque adorare Si ergo Angeli in via, Christi fidem habuere, atque adeo Verbum ex muliere concipiendum credidit; consequens est, Deiparam etiam tunc tanquam Dei Genitricem colendam, & adorandam Angelis fuisse propositam, & à bonis cultam, & adoratam, Pia hæc existimatio ipsius Suarez est, & S. Thomæ 1. p. q. 66. a. 1. ad 4. Joannis Vigerii in suis institutis. Theologicis c. 3. §. 2. v. 15. Jacobi de Valentia in Ps. 81. & Catherini in Genesim. c. 3. in opere de gloria bonorum Angelorum, & in opere de eximia prædestinatione Christi. Qui non malè id probat ex Paulo ad Heb. 1. Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terrarum, dicit: Et adorent eum omnes Angeli ejus. Iterum, inquit ille, quia semel introduxerat Christum adorandum ab Angelis initio creationis ipsorum, revelando eis hoc mysterium: iterum deinde introduxit, quando re ipsa perfecta est incarnatio, Sic igitur etiam B. Virgo (addit nosse Suarez) cum primum SS. Angelis est cognita, fuit ab eis adorata, cum ab eis sit cognita ut Dei Mater, ac Domina omnium, atque adeo ut adoratione digna.

217 Huc spectasse reor S. Cyrillum Alexand. contra Nestorium, dum sic Deiparam salutavit: Salve Virgo, per quam tentator Diabolus de celo decidit. Satis perspicuè videtur ostendere, peccatum Luciferi, quo æternæ damnationis factus de celo est reus, fuisse invidiam, superbiamque qua tumidus noluit debitum cultum & famulatum Virgini Matri exhibere: exhibitum tamen fuisse à bonis Angelis, qui eapropter Beatitudine donati sunt uti Christi ac Deiparæ cultores, & famuli obsequentissimi. Atque in hunc sensum traho non invitum spectrum illud Apocalypseo 12. Signum magnum apparuit in caele, &c. Ubi signum est vexillum in usu sacrae Scripturæ: de Virgine enim dicitur Prov. 8. Ab æterno ordinata sum. Hebraicè, vexillata sum. Et vox *nifacchi* à verbo *nasach*, reddi potest, regio initiata sum, Regina ac Princeps constituta sum. Ab initio enim sæculorum & Angelicæ creationis, Virgo hæc tanquam Dei Mater, & Regina hominum, & Angelorum, Angelis proposita est adoranda, quasi in imagine benè luminosa, & splendida. Cui Michael, & Angeli ejus magnum obsequium, & famulatum retulere, renitentibus Luciferi, & Angelis ejus. Hinc enim suborta pugna illa est, cujus statim meminit Joannes: Et factum est prælium magnum in caelo: Michael, & Angeli ejus præhabantur cum dracone: & draco pugnabat, & Angeli ejus. Quid tandem post pugnam? Boni Angeli, Christi gratiæ, & Dei genitricis auxilio triumphos reportarunt, Luciferi cum iis Angelis, quos in consensum suæ impietatis traxerat, in tartarum deturbatis. Hoc enim est, quod Cyrillus aiebat: Salve Virgo, per quam tentator diabolus de celo decidit. Quò referas illud Cant. 6. 3. ubi B.

Virgo prædicatur Terribilis ut castrorum acies ordinata. Paginus legit; Sicut castra cum vexillis. R. Salomon, & Genebrardus ibi: Ut vexillata super castra Angelorum. Certè terror, ipse, & pavor fuit tunc Deipara Luciferi, & Angelis ejus; formidanda maximè existit, ut vexillata super castra bonorum Angelorum; qui eam venerantes, auxiliatricem nacti sunt, in bello, & ad triumphum. Quid si in belli congressu Michael, & Angeli ejus MARIÆ nomen interpellerent? Objecta utique illis fuit imago Deiparæ luminosa, sole vestita, lunæ innitens, stellis coronata; Pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata. Tota illuminatrix apparuit; hoc MARIÆ nomen sonat, ex multorum placito, illuminatrix. Rectè S. Bonav. in speculo B. Virginis: Non sic timent hostes visibiles castrorum multitudinem copiosam, sicut aere potestates MARIÆ vocabulum. &c. En qua ratione boni Angeli, vel ab initio creationis suum debitum obsequium & famulatum Virgini Matri exhibuerint: en fructus tanti obsequii, & adorationis.

S. Bonav.

Angeli, vel ab ipso saeculorum ingressu, Christo ac Deiparæ cultum & famulatum detulerunt.

Job 38. 7.

S. Vincent Ferrar.

S. Sinaita:

218 Rursus, nihil Angelis potiùs & antiquius, quàm ab ipso saeculorum ingressu, & per decursum ipsorum, Christo, ac Deiparæ intum cultum, & famulatum deferre. Creavit Deus lucem magnam divino jussu coruscantem, vel ex diaphano aquarum corpore, aut ex empyreo caelo, quasi exprellam, & profusam: produxit hanc lucem die primo, ut in quarto solem ex ea conderet cum reliquis altris. Hanc utique lucis, & solis productionem magno cultu, & obsequio Angelii profecuti sunt, ut dicitur Job 38. 7. Cum me laudarent astra matutina, & jubilarent omnes filii Dei. Quorsum hæc Angelorum laudatio, & jubilatio? Aperit S. Vincentius Ferrar. Sermon. 2. de Nativ. Virginis: Dixitque Deus: Fiat lux, &c. Ecce Conceptio Virginis MARIÆ. Lux dicitur illa benedicta generatio, quia sine tenebra culpæ facta est. Et post pauca: Statim Angeli in caelo fecerunt festum Conceptionis. Adde ex S. Anastas. Sinaita lib. 4. in Hexamer. premente illa Jobi verba: Cum vidissent solem e terra recurrentem, in mysterio didicerunt, quæ extremis temporibus futura erat, Christi Incarnationem, & e terra assumptionem. Et ideo cum vidissent eum ex S. Virgine exortum, statim exclamaverunt dicentes: Gloria in excelsis Deo. Eò quidem spectabant Angelorum laudes, jubilationes, ut debito cultu, & obsequio, Deiparæ conceptionem, & Christi Incarnationem ex immaculata Virgine Matre concelebrent.

219 Imò eodem sanè spectasse crediderim frequens Angelorum ministerium circa mundi, ac præsertim populi Hebræorum providentiam, ex quo Christus & Deipara nascituri erant. Connitebatur dæmon perdere Israeliticam rempublicam, tot in eam concitatis immanissimis hostium persecutionibus; è contra coelestes Spiritus dæmones coërcebant, populumque cingebant tutelâ, & satellitio suo, ne deleteretur quoadusque ex femine Abrahæ nascerentur Christus, & Maria, quibus per tot sæcula famulabantur uti caelestes excubiæ, & custodiæ. Quò referas illa Can. 3. 7. En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel: omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi: uniuscujusque ensis super femur suum, propter timores nocturnos. Ubi

Angelorum ministerium circa mundi, ac Hebræorum providentiam ad Christum & Deiparam nascituros spectabat.

Cant. 3. 7.

Rupert.

Ubi duo observo ex Ruperto lib. 3. in Cantica sub initium. Primum, per lectulum Salomonis designari Virginem Matrem, in cuius utero virginali Deus naturam induens humanam requievit, post Angelorum tumultus: Quis enim est lectus verè, & veri pacifici Regis Salomonis, nisi illa, in qua divina natura humanam sibi naturam conjunxit? Et quis ille est nisi uterus tuus, dilecta dilecti, uterus virginalis? Secundum, idcirco hunc lectulum tot fortibus, & strenuis militibus bene cataphractis, undeque cingi: Quia radicem, sive arborem bonam, quod erat genus Abrahæ, ad quem primò beati seminis repromisso facta fuerat, diabolus per barbaricos gentium, vel Regum impiorum gladios excidere, atque extirpare volebat. Idcirco tempus belli tunc erat, ut defenseretur genus Abrahæ, ut defenseretur radix Jesse, genus & radix David, donec in B. Virgo nasceretur lectulus veri Salomonis. Certè spectavit hæc propugnatio, non tam ad ipsos populi Hebraici bellatores, quam ad ipsos Angelicos Spiritus, quibus potissimum id curæ erat, ut claret ex passim obvis sacræ Scripturæ testimoniis. Vide dicta sectione antelapsa.

Angeli summopere invigilantur Marianæ formationi, & creationi. S. Bern.

S. Ansel.

220 Deinde, hæc Angelorum custodia, obsequium & famularus erga Deiparam tunc se maximè prodiit, enituitque, cum illius formationi, & creationi summopere invigilantur. Huc revocanda sunt Canticorum verba proximè data, juxta S. Bernardi expositionem in Ser. illo inscripto Laus Mariæ, sic ille: Sed & innumerabilem beatorum Spirituum militiam ad ministerium tantæ Principis delegatam nulatam ambigimus, utpote qui custodirent lectulum Salomonis gratissimum, ac providerent, ne præparatum eterno Regi hospitium alienus hospes invaderet. Sed audiendus S. Anselmus lib. de excellentia B. Virginis Mariæ c. 3. Nulli dubium, castissimum corpus, & sanctissimam animam ejus funditus ab omni fuisse macula peccati jugi Angelorum custodia proteclam, utpote autam, quam suus, & omnipotens creator Deus corporaliter inhabitaturus, & ex qua hominem in suæ personæ unitate ineffabili fuerat operatione suscepturus. Quod exemplo firmat Principis, qui cum aliquò vadit hospitaturus, clientes præmittit, qui locum muniant, ornent, & custodiant. Consonant Fulbertus Carnotensis Episcopus ser. de Virg. Nativitate: Quanta, inquit, putamus provisio Angelorum circa tam Deo gratissimos parentes ab initio suæ procreationis, & excubatio super tam ingentem sobolem: nulli profecto dubium est, quod circa eam jam tunc omnis frequentia celestium agminum invigilabat, utpote quam supra se exaltandam minimè ambigebant. Bernardinus Buxius in Mariali Ser. 8. de Conceptione p. 3. revelationem refert factam sanctæ Moniali anno 3. Bonifacii VIII. nempe immaculatæ Virginis Conceptioni interfuisse tria millia Cherubimorum canentium, Mater Domini est Maria, & tabernaculum Trinitatis. Adde ex S. Vincentio Ferrar. Ser. 2. de Nativitate B. Virg. dum Deipara in utero Annæ conciperetur. Sancti Angeli conceperunt Virginem in mentibus eorum, per quam eorum ruina repararetur: & inceperunt tripudiare, & facere festum magnum.

Fulbert. Carnot.

Quot Angelorum millia Marianæ Conceptioni interfuerunt.

S. Vincent. Ferrar.

221 Quanta, & quam multa foetui, dum matris utero continetur pericula imminant, præter experientiam abortuum, vel ex iis licet addiscere, quæ Medici caverunt. Mitto

Quanta fuerunt in ma-

alios; unum audi Avicennam Arabum Medicorum Principem in canone medicinæ lib. 3. Fen. 21. tract. 2. c. 20. quod est de conservatione embrionis: & cautela abortus: Embriosis, inquit, suspensio ex matrice est sicut suspensio fructus ex arbore, & sicut major timor, qui timetur, super fructum quod cadat, est, aut cum incipit ejus apparitio, aut cum ipsius existit maturaio: similiter quod vehementius timetur super embrionem, quod abortivus fiat, est apud principium conceptionis, & ante oppropinquationem partus. Quare oportet, ut caveantur in his duabus horis causæ abortus prædictæ. Causas abortus numerat c. 8. percussionem, casum, exercitium superfluum, vehementem saltum, iram vehementem, timorem, tristitiam, & alias, quas latè persequitur Hippocrates lib. 1. de morbis mulieribus & Aphor. 3. & 5. 12. 27. 31. 34. Legesit Taranta lib. 6. titulo de regim. prægnantium, Jacobum Rufelium lib. 5. de Mulieribus c. 4. Mercatum lib. 3. de morbis mulierum c. 22. Ludovicum Bonaciolum Enneade Muliebri c. 7. Joannem Alphonsum lib. de privilegiis prægnantium: privilegio 6. Hinc jam Tertullianus scribit lib. de anima c. 37. Omnem hominis in utero, serendi, struendi, fingendi paraturam aliqua vique Potestas, divine voluntatis administra modulatur. Et mox explicat, quæ sit hæc potestas: nos officia Angelorum audimus, officia vocat, id est, ministros: ad quos spectare ait curam, & vigiliantem custodiam erga foetus in utero Matris, ne ullo casu, ullivè stigi hostis insidiis periclitentur. Hæc igitur custodia, vigiliantia, & ministerium Angelos summopere tangebant erga Deiparam in Annæ utero commorantè; cui Tartareus Draco maximè insidiabatur, ne maturefceret. Sed quidquid nocere poterat, Angeli removebant, & propulsabant jugi obsequio.

tri utero pericula imminant.

Avicenna;

Tertull.

Angelorum vigilans custodia factus in utero matris.

De effusa Angelorum læticia in Deipara ortu.

Georg. Nicomed.

De ferventi & humili in Christum ac Deiparam clientela Angelorum in Incarnationis mysterio.

S. Justin.

S. Hieron.

S. Ephrem.

oblatio muneris, famulatus obsequii. S. Ephrem in orat. de Deipara: Servili habitu ad te Virginem clamans cecinit. S. Petr. Damian. Ser. 3. de B. Virg. Nativ. O novum & inauditum Angelicæ salutationis obsequium! Et S. Bernard. Ser. super Signum magnum: Reverenter & officiosissime ab Angelo salutata est. En Gabrielis, & Angelorum obsequium & famulatum in Christum, & Mariam, eo Dominicæ Incarnationis tempore.

S. Damian.

S. Bernar.

De Angelorum gaudio, cultu & ministerio in Bethleemico stabulo, & alibi sapte.

Luc. 2. 10.

Matt. 4. 11. S. Thom.

Angelus Christum confortans in horto.

S. Epiphani.

Deuter. 32.

Deipara multis comitata Angliis ei famulantibus. S. Bernard. Senens.

S. Bernar.

S. Bernard.

224 Eorundem Angelorum gaudio, cultu, & ministerio erga Deigenitricem, & puerum Jesum in Bethleemico stabulo natum, habes apud Lucam c. 2. v. 10. Expende illud v. 13. Et subito facta est cum Angelo multitudo militia celestis, laudantium Deum, & dicentium: Gloria in altissimis Deo. Existimo, Angelos omnes, quotquot in cælo sunt, Infanti Jesu, ejusque Matri famulorum instar tunc adfuisse. Adfuisse etiam Christo semper, & ubique tanquam obsequiosissimi servi, & satellites: post devicta Luciferi machinamenta in deserto Matt. 4. 11. Ecce Angeli accesserunt, & ministrabant ei. Ubi S. Thomas: Semper Angeli cum Christo erant, etsi ad horam recesserunt, de ejus voluntate, ad hoc ut diabolus locum tentandi haberet: exhibebant enim ministerium in exterioribus, scilicet in miraculis, & aliis corporalibus, que sunt mediantibus Angelis. In horto, oranti cum sudore sanguineo Domino Angelus apparuit confortans eum. Apparuit, affumpto corpore pulcherrimo, atque splendido. Janfenius credibile judicat, non semel tantum apparuisse, sed ter in tribus orationibus. Nonnulli non unum dumtaxat Angelum, sed plures apparuisse arbitrantur Christum confortantes. Cujusmodi fuerit hæc confortatio, præclare S. Epiphanius hæresi 69. in Ancorato, his verbis: Admiratione ductus Angelus dicebat ad ipsum glorificans, ac benedicens proprium Dominum in stadio consistentem: Tua est adoratio, tuum est dominium, tua est potentia, tua est fortitudo; ut impleat id, quod à Moysè dictum est: Confortent ipsum omnes Angeli Dei. Laudaverunt tunc, fortem prædicarunt magno utique cultu, & humili obsequio Christum, proprium Dominum, Angelica cohors.

225. Denique universim de Deipara Virgine dicendum, pluribus fuisse semper Angelis comitatam, qui ei famulabantur. Ita S. Bernardin. Senen. Ser. 51. a. 3. c. 2. Affuit ei Angelorum protectio: assistebant enim illi innumerabiles multitudines Angelorum in ejus protectione. De hoc Propheta ad Virginem ait: Angelis suis Deus mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. Pie enim credo, quod plurimas legiones habuit Angelorum ad custodiam, & protectionem suam, cum & Eliseus, ut legitur 4. Reg. 6. Angelorum multitudinem habuit ad sui defensionem. Georgius Nicomed. Orat. de oblat. Deiparæ decies millia Angelorum agnoscit Virginem stipantium. S. Bernard. in Ser. Inscripto, Laus Mariæ, nullatenus ambigit, Innumerabilem beatorum Spirituum militiam ad ministerium tantæ Principis delegatam. Et S. Bernardin. to. 1. Concio. 61. Omnes Angelici spiritus sunt hujus gloriose Virginis servi. Servi quidem ita Domine suæ obsequentes; ut omnes inferni penas libentius sustinerent, quam aliquibus suis præceptis in aliquò contradicere; ut dicitur Ser. Angelico de Virgin. excellentia c. 2. apud S. Brigittam. De Angelorum omnium cultu & obsequio exhibitus Virgini morienti, & incælos assumptæ, plura videas testimonia P. Ildeph. de Flores in Ecclef.

trū apud Castro in Historia Deiparæ c. 20. n. 14. SECTIO XI. Quo tempore habita hæc Concio, & Angelorum plausus subsessit.

226 Vidimus, Jesum, & Deiparam, sub nomine sapientia, seu sapientiarum, induci toto eo capite 24. à Siracide Jesu, seipfos dilaudantes, magnaliaque sua evulgantes. Scrutamur modò pulchram utique questionem: quonam videlicet tempore, hanc habuerint panegyrim, subsessit Angelicis plausibus, & acclamationibus. Dixeris forsam, Christum, ejusque Parentem eatenus præconia hæc mundo cecinisse, suam sanctitatem declarasse, & seipfos tantoperè commendabiles præstitisse, quatenus inter homines conversando, verba sapientiæ plena dedere, mirifica opera, & virtutum exempla edidere omni præconio dignissima. Sed tamen cum in eo capite 24. per propopopæiam quandam loquentes inducantur Jesus, & Maria, fuerintque ante omnem creaturam non conditionis anticipatione, sed prædestinatione, atque præordinatione Dei, ut dicemus Verbum quintum prementes; duo proinde statuo. Primum,

227 Hæc Concio habita est, postquam Angeli creati sunt, vel quo tempore viatores fuerent, vel saltem ab initio beatitudinis ipsorum. In secunda enim Angelicæ creationis mora illis propositus est Christus Dominus, ut illum tanquam Deum hominem futurum fide susciperent, & ut caput suum, & auctorem suæ salutis agnoscerent, & utroque titulo diligerent, & reverenter colerent, & adorarent. Proposita tunc etiam illis fuit Deipara Virgo tanquam Dei Mater, in quam liberalissimus filius abundantiora gratiæ dona, & justitiæ merces diffusurus erat; ut ipsa in Angelos non pauca munera felici fecunditate profunderet, & beatas Intelligentias illuminaret, tanquam ipsarum Regina, ac Domina. Igitur, quid hoc aliud fuit, quam per propopopæiam induci Christum, ac Deiparam magnalia sua evulgantes? Vide dicta sectione 10. & preme S. Vincentii Ferrariensis verba in Ser. de Concept. Virg. Mariæ. Ideo dicit ipsa: Ego ex ore Altissimi prodixi, quando eam revelavit Sanctis Angelis.

Christus & Deipara præconist ab Angelis initio sua conditionis.

S. Vincen. Ferrar.

228 Si verò hæc tibi non arrideant, statuo secundò quod probabilius judicaveris; nimirum Concionem hanc habitam à Jesu & Maria, qua die Verbum divinum in utero Virginis humanam induit naturam. Cujus opinationis patronum habes Paulum de Palacio, egregium Sacrarum litterarum enarratorem in Conimbrensi Academia: qui initio commentariorum capitis 24. Ecclesiastici, sic habet: Ecclesiasticus hic accepit per revelationem futurum, ut Sapientia genita seu Filius Dei coram Deo, & omnibus Hierarchiis Angelorum (omnibus Angelis advocatis è mundo in cælum) hanc luculentissimam orationem in sui laudem habiura esset. Et ego probabilissimè credo, eam orationem habuisse quo die incarnari voluit. Quo die coram Deo, & tota curia celesti eam habuit, & postquam habuit, magnum audientium plausum sibi conciliavit. Etenim etsi ea quæ in hoc panegyrico continentur in laudem Christi, ac Deiparæ, decursu temporis evenerunt, adhuc tamen, vel ab ipsamet Angelorum conditione, & beatitudine, vel ab ipso potius Dominicæ Incarnationis die, illa omnia Angelicis spiritibus sub uno aspectu proposita sunt.

Palatio.

229 Rem totam explico & illustro S. Petri S. P. Damiani verbis Ser. de Annuntiatione, loquentis